

A D D E N D A

L. IV. c. 8. p. 279. Postquam accuratius postremum hoc caput cum Apologia comparavi, manifesta mihi interpolationis et lacunarum vestigia mihi reperisse in eo videor. Consilium hoc praefatur Xenophon sibi esse, ut demonstret, de daemonio, quod sibi ubique, quae agenda atque omit- tenda essent, significare Socrates affirmabat, mendacii non fuisse convictum in iudicio illo, quo morte damnatus fuerit, quod alicui possit videri. Verum argumenta, quae statim ab initio sequuntur, non pertinent ad suspicionem vel opi- nionem hanc redarguendam, sed illa demum, quae sectio 4 et sequentes referunt, ubi Socrates, admonitus ab amicis, ut, quid in iudicio accusatoribus respondere velit, cogitaret, bis se iam de ea re cogitasse refert, abnuisse tamen daemo- nium, atque inde se coepisse intelligere, diis etiam placere, ut vitam potius morte placidissima nunc et honestissima con- cludat, quam in senectutem molestissimam atque inhonoram procastinet. Deinde multis rationibus et vitae ante actae argumentis docere conatur benevolentiam deorum sibi etiam ex hac daemonii sui admonitione fieri manifestam. Quae igitur ante sectionem 4. traduntur, saltem praepostero ordine posita esse nemo facile non sentiet. Apologiae vero propo- situm fuit demonstrare illam Socratis extremam in iudicio magniloquentiam non fuisse ineptam et stultam iactationem, ut poterat multis videri, ex contumaci superbia ortam. Verum eam sedisse Socrati sententiam a daemonio suo ad- monito, ut honestiorem sibi iam mortem eiusmodi quam vitam diuturniorem fore crederet. Diuersum igitur Apolo- gia consilium praefatur, quam Memorabilia, sed utrumque ex narratione Apologiae multo clarius comprobatur, quam alterum ex oratione Memorabilium, ubi manifesto sunt quae- dam praepostero ordine locoque alieno posita, alia etiam a loco et ordine orationis plane aliena, veluti quae sectio 3 sophistarum more per antitheta de morte Socratis παρατρα- γωφεί; quae longe rectius fuissent reposita in finem capitis. Contra recte Apologia hanc eandem vel similem potius, et modestiorem multo atque elegantiore orationem ad finem reseruauit, ubi vide quam magnifice et verbis et re auctor dixerit: ἐμοὶ μὲν ἔν δοκεῖ Θεοφιλῆς μοίρας τετυχηκέναι· τῶ μὲν γὰρ βίη τὰ χαλεπώτατον ἀπέλιπε, τῶν δὲ θανάτων τῶ ῥάστῃ ἔτυχεν· ἐπεδείξατο δὲ τῆς ψυχῆς τὴν ῥώμην. Contra quam ieiune et inepte loquax interpolator Memorabilium sect. 3. καὶ πῶς ἂν τις κάλλιον ἢ ἕτως ἀποθανοί; ἢ ποῖος ἂν εἴη θάνατος καλλίων ἢ ὅν ἂν κάλλιστά τις ἀποθανοί; ποῖος ἂν γένοιτο θάνατος εὐδαιμονέστερος τῶ κάλλιστῃ; ἢ ποῖος Θεοφι-